*main, Durandus, Caietanus, Capreolus, Paludanus.* *Tertio*, devitanda eſt Opinio *Arminianorum*, qui aſſenſum quoque tribuunt humanæ naturæ, & ut ille eliciatur, requirunt *primò* talia argumenta ex parte DEI, quibus veriſimiliter nihil poſſit opponi, cur credibilia non ſint & fidem non mereantur ea, quæ credenda nobis proponuntur. *Secundò* piam Dccilitatem, vel animi probitatem in eo, à quo fides iſta exigitur, quæ ſit naturalis, temperamento, vel etiã Educationi, Converſationi & Inſtitutioni transſcribenda: unde etiam in *Apologia cap. 20.* profitentur: Potentiam ad credendum homini nunquam prorſus negari, nec penitus adimi à DEO, ſed quæcunque homini accidat Impotentia, eam à Voluntate hominis ſolâ provenire, eamque non tam phyſicam, quam moralem eſſe Impotentiam, quæ ex diuturna obſtinatione & tergiverſandi Conſuetudine naſcatur, unde homo adeò ineptus ad credendum, adeoque alienus à credendo reddatur, ut impotenti ſimilis ſit.

## *Num Fides etiam includat fiduciam?*

Probat hoc ipſum *primò* Scriptura, in quâ dicimur, fide inniti Jehovæ, recũbere in eum נִשְׁעַן cum עַל vel אֶל & סָמַךְ cum עַל *Eſaiæ 10. v. 20. cap. 50. v. 10. Micha 3. v. 11.* adde loca *2. Paral. 16. v. 8. cap. 13. v. 18. cap. 14. v. 11.* in qua dicimur amplecti DEUM חָבַק eique conglutinari *Deut. 4. v. 4. 2. Reg. 18. v. 6. Pſalm. 119. v. 31.* in quâ denique dicimur nos recipere ad DEUM חָסָה *cum Beth* aut תַּחַת *Pſalm. 57. v. 1 & 2. Pſalm. 64. v. 11.* גָּלַל devolvere *Proverb. 16. v. 3.* nec minus emphatica pro noſtra ſententia militant Vocabula, quæ in N. T. libris occurrunt, utpote *πεποίθησις 2. Cor. 3. v. 4. θάρσος Matth. 9. v. 2. παῤῥησία Eph. 3. v. 12. πληροφορία Rom. 4. v. 21.* & *ὑπόστασις Ebr. 11. v. 1.* Ita enim Apoſtolus ibidem: *Eſt autem fides ὑπόστασις &c.* notat autem *ὑπόστασις primò* extantiam ſive Exiſtentiam rei, ut Beneficio ſcil. fidei res ſperatæ, quæ nondum exiſtunt, exiſtant tamen in animo credentis & promiſſionibus divinis inhærentis, ac ſi rem promiſſam jam ipſo actu poſſideret; unde etiam *Scholiaſtes Græcus* huc reſpiciens, quoniam, *inquit*, quæ ſunt in Expectatione poſita, ſunt Eſſentiæ expertia, utpote quæ nondum extant, fides eſt quædam ipſorum ſubſtantia & Eſſentia, quod